




V
B J
C
585479 585482
I
Mag. St. Dr.

JOACHIMI PASTORII, D.
De conservandâ literarum gloriâ

ORATIO
INAUGURALIS.

ELBINGÆ,
Typis CORELLIANIS.
ANNO 1653.

ELBINGÆ

INCLUTÆ CIVITATIS

MAGISTRATUI AMPLISSIMO

& Ordinibus Civium universis

hanc Orationem

Lubens meritoq;


Cum voto omnigenæ felicitatis

---

d. d. d.

Joachimus Pastorius, D.

MAGNIFICA ET GENEROSA HONORATISSIMA FLORENTISSIMAq; OMNIUM ORDINUM & ÆTATUM CORONA.



INnumera ſunt beneficia, qvibus Divina liberalitas, prima omnis boni ſcaturigo, conditum à ſe genus humanum devinxit, & perpetuò usq; vectigale ſibi reddit. Hominem univerſi hujus compendium, hominem cœli ſui hæredem fecit: homini naturam rerum ſubeſſe & velut ancillari voluit. Homini, ut rebus, qvibus præeſſe debebat, præſtantior eſſet, Divinitatis ſuæ traducem, auræ cœleſtis particulam, ſemen immortalitatis, ſapientiæ ſuæ incomparabilem radium, Intellectum, infudit. Eidem, ut luctæ cujusdam, & poſtea victoriæ, adeoq; ſimul laudis & præmii luculentioris aperiret materiam, corpus circumdedit, qvod animi habitaculum & inſtrumentum, ſed plerumq; etiam

hoſtis,

hoſtis, proditor ac tandem deſertor eſt. Sæpè rebellat ſervus iſte, ſæpè recalcitrat vector; ſaltèm ita ſegnis plerumq; eſt, ut perpetuis ſtimulis & qvaſi ferulis ad res laudabiles agi impelliq; debeat. Ac niſi ſubinde à DEO variis adminiculis luctator animus ſublevaretur, haud ſanè is ignavas iſtas membrorum moras pervinceret,, hoſti domeſtico & à terrâ ſuâ novum identidem robur ducenti impar eſſet, ſervo, cui imperare debuerat, miſerè ſerviret. Verùm non deſerit iſtam propaginem ſuam Propitium Numen: ſurculum hunc, ſi ipſe modò non deſit ſibi, prima illa & ſuprema omnis vigoris roborisq; radix non deſtituit. Subinde & ex hominibus excitat aliqvos, qvi ſcintillam in cineribus oblitescentem eliciant, qvi langventi auram afflent, materiemq; ſuggerant, ubi gliſcere illa, ubi emicare, & in pulcherrimam exardeſcere flammam poſſit. Qvâ in re cum multorum deſudet labor, tum neſcio an cujusquam luculentior atq; efficacior exiſtat induſtria, qvàm eorum, qvi adoleſcentiam cujusq; hominis ab ipſo mox qvaſi ſinu parentum ſuſceptam bonis & neceſſariis imbuunt diſciplinis. Hi virtutis decus tenellis & nullo adhuc alieno colore

infectis Puerorum oculis objiciunt; hi turpitudinem demonſtrant vitii, Virtutem laude, & ſi poſſunt, præmio, vitium averſatione & ſeverâ ſubinde proſeqventes cenſurâ. Hi DEI reverentiam, parentum ſeniorumq; omnium cultum, hi honeſti inhoneſtiq; diſcrimen docent: hi rerum laudabilium amaras radices, ſed dulciſſimos fructus; hi pudoris decentiſſimam purpuram, fædiſſimum contra Impudentiæ callum oſtendunt ignaris. Tales in omni omninò domo honeſtiore, certè in omnibus benè conſtitutis Rebuspubl. haberi, & ob ſummè utilem neceſſariamq; eorum operam, foveri, ac ceu primi Reip. cujusq; nutricii atq; educatores, de publico ali conſvevêre. His iisdem Gymnaſia, officinæ literariæ, theatra qvodammodo & qvaſi Curiæ conſtitui ſolent; qvæ auguſtæ alibi, alibi anguſtæ ac pauperes, qvalescunq; autem ſunt, omnis ubiq; Eccleſiaſtici & civilis regiminis non ſeminaria tantùm, ſed & præludia; loci autem, in qvo cum curâ inſtituta, cum curâ conſervantur, præcipua decora atq; ornamenta ſunt. Eâ in re Civitatem hanc noſtram aliis ſui ſimilibus inferiorem eſſe, noluêre majores, qvi anteactis ſeculis hîc ad gubernacula

ſedentes, patriæ rei non alium meliorem ſub-ſterni fundum poſſe animadvertêrunt, qvàm bonam rectamq; primæ ætatis inſtitutionem. Unde curâ eorum Schola hæc erecta eſt, apertiq; Muſarum rivuli, qvos non indigenæ tantum juventuti, ſed ſubinde etiam advenis, iisq; illuſtribus bibere dulce fuit. Legi nuperrimè literas, anno milleſimo, qvingenteſimo, octogeſimo qvinto Levartoviæ à Magno Poloniæ Senatore, Firelio, cujus & abnepotem hic jam videmus aſſidentem, ſcriptas, ubi is inter alia propenſiſſimæ voluntatis erga Senatum Elbingenſem autoramenta, Urbis hujus alumnum ſe eſſe, hìcq; prima literarum elementa ſub Gulielmo Gnaphæo & Johanne Sprengelio urbis hujus poſtea Burggrabio & Præconſule dignisſimo, præceptoribus ſuis, (verba ejus recito) colendis, didiciſſe, liberaliter fatetur. Attamen tum adhuc variis ex cauſis, ſed inprimis ob Martis prædominantis ferociam anguſtiùs locis iſtis Muſæ habitabant: donec affulgentibus conſtantioris Pacis halcyoniis, extulêre caput ſuum,

& ſui

& ſui deniq; amore piorum magiſtratuum animos ita accendêre, ut ſpectatiora iis domicilia impensâ publicâ exſtruenda putarent.

Id qvod iſtâ in Vrbe anno poſt natum Servatorem milleſimo qvingenteſimo nonageſimo nono ſpectabilis Senatûs curâ, & ampliſſimorum inprimis virorum Georgii Braunii Præſidis, Alberti Iſendorfii, Joannis Sprengelii, Georgii Videri ductu induſtriâq; factum teſtantur commentaria civitatis, & illi, qvos Muſæ, ſuper meliore fortunâ ſuâ tum lætantes, certatim effudêre, plauſus poëtici. Vix potuit verò Gymnaſii hujus natalis in tempus incidere notabilius. Ferè enim is menſe tantùm uno ſeculi decimi ſexti nunc labentis ortum anteceſſit: ita ut inſigni adeò ætatum ſegmento ſynchronus ſeu coævus, illuſtri planè notâ & qvaſi epochâ hominum ſeſe inſerat memoriæ. Deinde nec illud animi curioſi obſervatione indignum arbitror, qvod ſchola hæc paulò ante eum diem dedicata eſt, qvo Eccleſia Chriſtiana, vulgarem temporum rationem antevertens, ſacrum ſuum annum redauſpicari, & τȣ̃ λόγȣ in carnem humanam Adventum ſo-

lenni celebritate recolere consvevit. Ita ut jam tum, ex ipso nascentis Gymnasii tempore non male colligi posset, ad Christum, qvi usq; etiam ad homines, atq; ad pueros etiam, qvos nunquam fastidiit, venire solet, ad Christum inquam, recipiendum istud, qvicquid est, institutum atq; exstructum esse. Istius ejusdem natalis memoriam qvotannis hactenus renovare hîc Musæ consvevêre; ut in DEUM, ut in Fautores eruditionis, ob additum literis splendorem, sese gratas esse testarentur: more sanè laudabili, & qvem nefas sit usq; etiam exolescere. Ac ei ut hoc qvoq; anno jus suum exsolvatur, ego nunc locum istum verba ad vos faciundi animo conscendi: accedente inprimis alio stimulo, qvi & solus ad has dicendi partes me vel nolentem impellere fuit idoneus. Etenim quia Amplissimo Magistratui Gymnasii hujus regimen mihi concredere placuit: id si absq; prævio solenni sermone aggrederer, parùm & muneris dignitati, & committentium honori, & meæ deniq; famæ viderer consuluisse. Argumentum vestiganti mihi haud diu equidem vacillavit animus, quin de literis dicendum mihi esse putarem. Neq; enim ulla alia mate-
ries

ries vel loco huic vel tempori videtur eſſe accommodatior. Non verò de earum vel utilitate vel pulchritudine dicam: qvia utraq; hæc & propriâ ſponte ſuoq; qvaſi fulgore ſatis ſplendeſcit; & â multis aliis luculenter expoſita eſt: adeò ut de his rebus dicere, foret cramben apponere, ad qvam doctiſſimus qvisq; nauſearet. Sed nempe cum literas ad altum planè faſtigium hodie pertigiſſe videamus, juſtusq; omnibus rerum peritis metus ſit, ne inde in præceps eant, de conſervandâ earum gloriâ perorare hîc, qvantum virium mearum & temporis dati modus patietur, conſtitui. Vos, honoratiſſimi Auditores, audiendi alacritate patientiâq;, quâ humanitate vos eſſe novi, animos, ſpero, dicenti addere, & liberè, ut oportet, loqventi veniam impertiri voletis. Ego certè, ne qvisqvam ea qvæ de publicis literarum calamitatibus, & bonæ mentis obſtaculis dicentur, malè interpretando ad ſe trahat, id verò, antequam ulteriùs provehar, etiam atq; etiam ab omnibus peto atq; contendo. Vbi incremento locus non eſt, vicinus occaſus eſt, inqvit ſapientiſſimus Stoæ Latinæ magiſter,

ſter, &, qvicqvid ad ſummum pervenit, ad exitum properat, ait idem. An verò ad ſummum omninò pervenerint literæ, non eſt meum dicere: qvia nec ego, nec forſan qvisqvam præter DEum, τὰ ἄκρα hoc eſt ſumma rerum adeoq; & literarum novit cacumina. Et opinor ad finem usq; mundi non fore ita conſummatas ſcientias, qvin ſemper aliqvid ſuperfuturum ſit, qvod addi iis poſſit. Multa nobis ignota venientis ævi populus ſciet. Rerum natura ſacra ſua non ſimul tradit. Semper ſervat Eleyſis, qvod reviſentibus recludat. Interim qvicqvid ſit de futuro, ad ſublime culmen evectas hodie literas & ſcientias eſſe, nemo eorum, qvi emunctæ in talibus naris ſunt, diffitebitur. Non lubet jam omnia artium genera percurrere, quia ea res operæ eſſet prolixioris. Pauca nec niſi levi brachio, qvod ajunt, attingam. Ac primùm lingvæ nonne ita præclarè effloruerunt, ut ipſa ejus, qvod aſſecutæ ſunt, faſtigii conſervatio ac cuſtodia multum poſteritati datura ſit laboris. Olim unam lingvam eamq;

vernaculam curatiùs aliis excoluiſſe ſummæ dabatur laudi. Nonniſi Græcè, qvantum nobis quidem compertum eſt, loqui noverat Demoſthenes, & eum tamen

— admirabantur Athenæ (tri.
Torrentem, & pleni moderantem fręna thea-

Ennius tria corda ſeſe habere dicebat, qvòd Græcè, Oſcè, & Latinè loqvi ſciret. O qvàm hodie gloriæ illum ſuæ puderet, ſi viros ſex, ſeptem atq; etiam decem lingvarum peritos audiret! Hebræa lingva ſuperioribus ſeculis rariſſima erat inter Chriſtianos Europæos. Vix centum qvinquaginta anni abiêre, cum Joannes Capnio, vulgò Reuchlinus, eam lingvam docenti Iudæo pro ſingularum horarum operâ ſingulos aureos penderet Romæ. Tanta erat in ipsâ etiam Italiâ lingvæ iſtius eo tempore ignorantia. Hodie non Romæ tantùm, ſed in Europâ paſſim, nec in Academiis modò, ſed & alibi, & ſæpè ubi haudqvaqvam ſperes, viros reperias, qvi Hebræam unà cum rivulis ſuis, Chaldæâ, Syrâ, Arabicâ, Targumicâ exhausêre. Iam Latinam lingvam ſi expendamus, annon eum jam nitorem adepta eſt, ut ipſa vetus Roma majorem vix habuerit, propè etiam vix

ſperârit? Deterſerant ſuperioribus ſeculis incudem hanc Romanam, ſitu equidem fœdiſſimo ſqvalidam Politiani, Petrarchæ, Ioviani, Sadoleti, Manutii, Eraſmi, Buchanani; Scaligeri, Lipſii, Schotti, Duzæ, Mureti, Maffei, Grotii, Heinſii, Turſelini, Stradæ, Voſſii aliiq; qvos longa ſit enumerare mora. Hi omnes certatim eam limam Latinitati, id acumen intulêre, ut illa jam deteri porrò magis, qvàm exſplendeſcere, frangi ferè citiùs, qvàm acui amplius poſſe videatur. Neq; proſâ tantum oratione ſeriora hæc ſecula ita emicuêre: ligatâ qvoq; ita excellunt, ut antiqvis poëtis non aliam propè præ ſe eminentiæ laudem recentiores relinqvant, qvàm qvod illi tempore anteriores facem iſtis præluxerint. Et hi illis eo qvoq; admirabiliores exiſtunt, qvod peregrinâ in lingvâ eum apicem attigêre, & aliqvi in utroq; ſermonis genere; ita ut neſcias, meliores ne Oratores, an Poëtas dicas: cum antiqvi (excepto Senecâ aliisq; pauciſſimis) ferè alterutrum duntaxat aſſecuti ſint, ut aut Poëtæ, aut Rhetores eſſent eximii.

Jam Philoſophiam ſi inſpiciamus, in qvod decus à Toletis, Fonſecis, Zabarellis, Piccolomineis, Conimbricenſibus, Keckermannis,

Paciis,

Paciis, Verulamiis, Campanellis, Lycetis, Gaſſendis evecta eſt? qvibus inventis Aſtronomia à Copernicis, Braheis, Origanis, Galilæis, Crugeris, Bulialdis, Heveliis exornata eſt? Qvo ſplendore Geographia per Ortelios, Mercatores, Cluveros, Merulas, Janſonios, Bochartos aliosq; enituit? Qvibus jam Atlantibus innixus Orbis terrarum omnium undiquaq; oculis patet, etiam eà parte, qvâ veteribus olim incognitus fuit? Qvam lucem nunc habet ars Magnetica, qvam altera illa, qvæ ignibus fulminat, qvam iſta deniq;, qvæ terram alendo homini conditam, miris machinamentis ad vim arcendam inferendamq; accommodat? Iam ars illa artium Politica qvò, DEum immortalem! hodie progreſſa eſt? Qvàm propè fræno indiget, ut intra terminos maneat, qvos homini nefas eſt tranſcendere? Qvam ſagacia in conqvirendis aliorum aſtibus, qvàm fæcunda in fingendis ſuis ſunt ingenia! qvâ acrimoniâ, qvâ ſuſpicacitate indagantur præcipiunturq; conſilia & eventa conſiliorum, etiam cum in arcanis adhuc fatorum tabulis latent. Eſtne ſinus aliqvis Tiberianus, eſtne Florentina ulla techna vel latebra, in qvam Pragmatici noſtri non pe-

netrârint? Suntne artificia, in qvibus vel ſubtiliſſimi veterum Aularum Magiſtri non diſcere potius apud noſtros, qvàm docere debeant aut poſſint?

Non attingam nunc cæteras facultates, qvia nimiùm ultra limites præſcriptos diffunderetur oratio. Et hæc, qvæ dixi, ſatis id evincunt, qvod aſſerui, celſo in culmine plerasq; jam conſtitiſſe diſciplinas. Potius itaq; ad id, qvod inprimis agere inſtitui, accedendum eſt, ut oſtendam, qvomodo conſervari iſte literarum flos, vigor, dignitas & ſplendor debeat: ne qvod heu! nimium meritò timetur, imò imminere fermè cernitur, in exitium vergant artium ſtudia, potius verò eodem fulgore, quo nos circumfudêre, ad ſeram poſſint transmitti poſteritatem. Ac primùm nihil præter rem dicturum me arbitror, ſi qvod de Rebusp. atq; imperiis aſſeri ſolet, id de diſciplinis affirmavero: iisdem ſcilicet modis artibusq; conſervandas eas eſſe, qvibus partas, qvibus auctas, qvibus ad lucem & robur ſuum eas perveniſſe videmus. Modos autem illos, qvibus diſciplinæ exſurrexêre, non adeò arduum eſt reperire atq; ediſſerere. Cum in vetuſtatis regredimur memoriam

moriam, artes eo plerumq; tempore caput ſuum extuliſſe deprehendimus, qvo Principes, qvo potentes aliqui magiſtratus excolere eas, aut fovere ſaltem cœperunt. Illos ſoles ſeqvitur ſemper hoc ſcientiarum artiumq;, ut ſic dicam, heliotropium. An unqvam gloria literarum & ſapientiæ magnificentius exſplenduit, qvàm tempore Ariſtotelis? At nempe inciderat is in Philippum & Alexandrum, illum Macedoniæ Regem & Græciam univerſam animo, penè & imperio complexum, hunc Orbis totius primò candidatum, mox & poſſeſſorem. A Philippo ſplendidiſſimum de eruditione ſuâ judicium, & mox honeſtiſſimum ad expolienda ſapientiæ ſtudia otium: ab Alexandro non majora tantùm vitæ præſidia, ſed apparatum etiam, inſtrumenta, & qvicqvid ex orbe in Macedonum tum leges atq; imperia eunte, ad rem ſuam neceſſarium, aut utile ſibi putaverat, adeptus eſt. Ita certantibus ingenioſi Magiſtri, & munifici diſcipuli ſtudiis in altum ſe ſuſtulêrunt artes. Ille rimando, docendo, ſcribendo, iſte fovendo, ſubſidia & qvicqvid ingenia excitare ſolet, ſuppeditando ignorantiam ignaviamq; ſeculi expugnabat. Romæ nun-

qvam pulchriore plenioreq; vultu effulsêre artes, qvam Iulii Cæſaris atq; Octaviani temporibus. Qvæ cauſa? qvia & ipſi erant eruditiſſimi, & eruditionis ſummi æſtimatores. Nunqvam fortè Roma tales Virgilios, nunqvam Horatios nobis educaſſet, niſi optimus ille Auguſtus benignitatis & munificentiæ ſuæ uber ingeniis iſtis admoviſſet. Nunqvam fortè Seneca ad eam laudem perveniſſet, niſi Agrippinæ, niſi Neronis, boni ſanè, antequam hominem exueret, diſcipuli beneficentia adeò illum, non foviſſet tantùm, ſed ad nauſeam usq; ſatiâſſet. Hebetior forſan aut obſcurior fuiſſet Bilbilici ingenii (Martialem intelligo) mucro, niſi eum Domitiani, mali qvidem, ſed literati principis acuiſſet favor. Non Claudiano, non Auſonio fortè tam fluida fuiſſet vena, niſi illum Ruffinus & Stilico, hunc Diſcipulus Imperator tantâ benevolentiâ eſſent amplexi. Aliorum etiam poſtea Chriſtianorum Cæſarum minimè eqvidem reſtrictior erga ingenia & literas liberalitas fuit. Sed qvia literatiſſimi tum qviq; ad ſacra ſe ſtudia vitamq; religioſam conferrent, inde factum eſt, ut beneficentiæ publicæ ſcaturigines in Antiſtitia & Epiſcopatus, in cænobia & alias

ejus-

ejusmodi porticus vel ſcholas ſeqverentur. Et in iſtis equidem ſtudia ſemper viguêre: Sed diu illa tantùm, quibus animi, ſpeculationum remigio in altiſſima qvæq;, in neſcio qvas abſtractiones, ſæpè etiam in nubes & inania deniq; eveherentur. Qvid verò mirum extra lucem publicam & in arcto triſtem, ſeveram moroſamq; vitam agentibus, politioris doctrinæ ſorduiſſe lautitias, obſcurum contra, intricatum, ſpinoſum genus ſtudiorum placuiſſe? Qvi gubernacula rerũ tractabant, facilè pleriq; patiebantur, iſtos, penes qvos magiſterium ſapientiæ eſſet, circa ſcirpos ejusmodi, nodosq;, ſe & ſimul alios occupare, omnis interim civilis prudentiæ facundiæq; expertes atq; incurioſos. Sic enim ipſi tanto faciliùs agere res ſuas, tanto procliviùs fræna imponere omnibus, tanto ſecuriùs artes aſtusq; inter homines iſtarum rerum rudes atq; inſcios, exercere poterant. Qvicquid ſit, adeò non defuit artibus ſtudiisq; Principum ac Magiſtratuum Chriſtianorum beneficentia, ut ipſas etiam umbras cujuscunq; eruditionis liberaliter admodũ aluerit. Adeoq; ſi ſuperioribus ſeculis doctrinæ aliqva affuſa caligo eſt, ea non poteſtatibus ſupremis vel Mecænatibus, ſatis profectò,

imò

imò nimium aliqvãdo munificis; sed Doctoribus & ipsis artium clientibus, verum scilicet sapientiæ nucleũ ignorantibus, aut certè præ divinæ rei studio omnem literarum elegantiam ac munditiem spernentibus imputanda est. Cum postea istorum aliquibus melioris literaturæ lux affulsisset, qvàm minimè in eos Patronorum clausit benignitas, qvàm imò intentis propensisq; istorum studiis, politiores literas colentium labor provectus adjutusq; est? Qvàm in delicijs Laurentio Medici fuit Politianus? qvàm carus Francisco I. Gallorum Regi Budæus? qvàm plerisq; Europæ totius capitibus adamatus cultusq; est Erasmus Roterodamus? qvàm & gloriæ sibi principes seculi Viri duxerunt, illi homini, commercio aliquo, vel alloqvio saltem literario innotuisse? Sed de Christianorum Mecænatum in literas benignitate qvis dubitet? cum illis plerasq; Scholas & Gymnasia, qvæ usqvam ferè extant, debeamus. Illi sunt, qvi focos, qvi ignem hunc excitârunt, ad qvem hodieq; Musæ nostræ calefiunt. Ab illis stipendia Magistri, ab illis non uno in loco liberalem victum juventus, ab illis splendidissima privilegia & bibliothecas instructissimas meliores

liores scholæ, ab illis jura honoresq; suos artiũ professores, ab illis nobilitatis decora Doctores habẽt. Et qvot usq; collegia extant, qvibus amplissimas largiti sunt opes summi Reges, Principes, Antistites, Vrbium magistratus; qvorum nomina qvia nimis multa numero sunt, silentio nunc involvo, alioqvin sanè non intermoritura, dum literis aliqvis in terris honor erit. Neq; intra purpuras Magnatum sese hæc liberalitas continuit. Subinde etiam privati homines ad erigenda eruditionis & bonæ mentis templa conferendum sibi aliquid putârunt. Nempe nulli eorum, qvi paulò plus supra vulgum sapuêre, dubium fuit, gloriæ divinæ, cui omnia sua posthabere homo debet, istâ se ratione qvàm pulcherrimè velificari. Videbant publicum bonum per instituta ejusmodi virtutis & sapientiæ seminaria luculentissimè promoveri. Inde qvippe utilia Ecclesiæ organa, inde prudentes juris interpretes vindicesq;, inde peritos valetudinis humanæ curatores, inde deniq; idoneos publici regiminis præsides, Duces pastoresq; populorum depromi. Inde deniq; privato etiam cuiq; ea animi decora, ea subsidia peti, qvorum in omnem vitam & fructus largissimus & summa innocentissimaq; voluptas est. Tam egregium

antecedentium seculorum fervorem nefas sit posterorum negligentiâ destitui. Erubescenda labes erit, non prementium viam, adeò laudatis majorum vestigiis signatam. Eadem, qvæ olim, literarum utilitas ac necessitas est, cur non idem erga illas ardor sit benignitatis? Eædem, & forsan majores alicubi suppetunt opes, cur non eadem appareat liberalitas? Fateor priorum temporum homines nonnunquam nimiâ qvâdam in operibus positâ fiduciâ ad benè de templis Scholisq; merendum impulsos esse. Qvid verò? annon ea quæ laudabiliter illi fecêre, â vitiis aut nævis suis separari possunt? & factâ separatione nonne id qvod bonum est, retineri debet? Facessat age ille operibus suis coram DEO creatore superbientium fastus, at opera tamen maneant, & sine fastu ea facere contendamus. Non merentur ex se facta nostra gratiam Divinam: qvia multa, ad meriti decus necessaria, illis desunt: at interim tamen grata sunt DEO, DEO nempe per & propter Christum propitio: ab hoc benignè illa acceptantur, & haud dubiè, si à verâ fide profecta sunt, præmium suum habebunt. Magna sunt, qvæ Servator promittit iis, qvi ipsi

esurienti

eſurienti cibum, qvi ſitienti potum, qvi nudo veſtimentum dederint. Et idem ſibi præbitum interpretatur, qvicqvid minimo Diſcipulorum ejus fuerit præbitum. Qvicunq;, (clamat alibi idem Servator,) qvicunq; ſolum aqvæ frigidæ poculum uni ex his parvis nomine diſcipuli dederit, amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam. Videmus igitur placere omninò DEO, nec incompenſata manere, quæ ab homine fideli fiunt pia opera: inter qvæ qvin cenſenda ſint, qvæ in Scholas literasq; conferuntur, minimè profectò à qvoquam ſano dubitatur. Fateor olim aliis inſuper ſtimulis homines, ad fovenda ſtudia, alendos pauperes, erigenda aut dotanda Gymnaſia, aliaq; ejusmodi beneficia, fuiſſe incitatos. Inprimis verò ſcio plurimorum animos in munificas ejusmodi cogitationes ab igne purgatorio exarſiſſe. Sed qvid? an qvia apud nos ignis ille ſollicito &accurato labore extinctus eſt, inde caritas, inde ardor pietatis & munificentiæ refrigeſcet? Ergone iſtius ſupplicii metu depulſo, ſegniores ad laudata opera erimus? Qvin verò tanto magis ardere in

nobis amor DEI, ardere ſtudium erga gloriam ejus, erga Eccleſiæ Scholarumq; incrementa, ardere in pios & DEI filiis dignos conatus propenſa voluntas debet. Ita ſcilicet veram, genuinam, vivam fidem in nobis eſſe teſtabimur, non cadaver fidei, qvod profectò neminem ſervabit. Cadaver autem, non viva fides eſt, qvæ ubi occaſio & vires adfuêre, in veros pietatis fructus non exuberat. Ita demum clarè oſtendemus, uberiorem nobis, qvàm majoribus, veritatis lucem affulſiſſe, cum lucis opera & meliora qvàm illi, & freqventiora ediderimus. Exarſit præter ſolitum, fortè & præter ſpem veſtram oratio: ſed veniam facilè inveniet apud vos, qvi verum eſſe qvod dixi, lubenter & ultrò ſubinde nec ſine gemitu aliqvando fatemini. Vtinam tam efficaces & fructuoſæ ſint qverelæ noſtræ, quàm ſunt neceſſariæ!

Eqvidem de veſtrâ, Ampliſſimi Magiſtratus, in literas, earumq; antiſtites & alumnos benevolentiâ, curâ, manuq; liberali non eſt, qvod dubitem. Eam qvippe multa jamdudum luculenter probant oſtenduntq;: Eam & nunc, ipſi parietes Gymnaſii iſtius renovati loqvuntur; eam inprimis qvoq; pulchra iſta & meliora Gymna-

Gymnaſio fata ſpondens ordinatio, ſuſceptaq; regerminationis omni ſtudio procurandæ conſilia evidentiſſimè omnium demonſtrant. Qvo nomine etiam in præſentiarum immortales vobis Muſæ gratias agunt: veſtræ liberalitatis uti nunc clientes & alumnæ, ita in perpetuum futuræ decantatrices. Neq; ambigo, qvin Patriæ patrum pietati, ornatiſſimorum qvoq; civium in literas amor, easq; omni modo provehendi ſtudium, ſit reſponſurum. Sunt multifariæ rationes, qvibus cuncti ferè dulcem utibilemq; rei literariæ operam navare poſſint. Et eas ſuus cuiq; animus melius, qvàm oratio noſtra monſtraverit. Si cui alios modos de literis benè merendi vel natura, vel educatio, vel fortuna negavit, hoc ſaltem â ſe impetrare unusqvisq; poteſt, ut de illis aut non judicet, aut judicet benignè: & ſi beneficiis ornare artium clientes non valet, eos tamen non ſpernat, aut afficiat contumeliâ. Honos alit artes, omnesq; ad ſtudia incenduntur gloriâ, dictum olim â Cicerone, nec â qvoqvam negari poteſt, verum eſſe. Hoc ſi ſolatium literis eripueris, rara, aut vilia ſanè pectora erunt, qvæ

ſe iis velint impendere. Sublatis ſtudiorum pretiis etiam ſtudia peritura ſunt, ut minus decora. Nôrunt experti (nam rude vulgus aliter & perperàm cenſet) magnis plerumq; laboribus atq; ærumnis vitam literatorum, & inprimis in Scholis deſudantium conſtare, ac veluti deteri. Lucubrationibus & pervigiliis miſerè identidem impalleſcunt, chartis & meditationibus dies noctesq; aliqvando immorantes, ferè & immorientes. Curarum illis aſſiduæ occaſiones, rara verò & exigua laxamenta ſunt. Plerisq; etiam domi moleſta ſoror & contubernalis eſt paupertas. Et hanc ipſam plerumq; pro dote affert uxor, ſi qva ipſis ducenda eſt. Raro admodum bonos iſtos Pædotribas benigno oculo Diva pecunia reſpicit, rarò divitem cenſum Fortuna Muſis largitur, in alias, etiam manuarias artes, ſæpè liberalior. Qvod ſi laboribus, curis, & has comitanti inopiæ contemptus inſuper accedat, mirum propè non eſt, qvin animis collabaſcant, qvi digno, qvi decoro ſapientiæ ſtudiis honore erigi debebant. Mirum qvoq; non eſt, ſi cæteri talem horum miſeriam conſpicati, liberos ſuos cuivis alii potius incudi

incudi, qvàm literariæ velint impendi. Mirum, deniq; non eſt, ſi juventus ipſa veſtigiis ejusmodi deterreatur, qvò minus alacriter animum ad ſtudia appellat, illa inprimis ſtudia, qvæ paſſim non lucri tantùm, ſed & honoris videt eſſe ſterilia. Sed ego â ſpectatis hujus Vrbis civibus nullum ejusmodi contemptum Muſis metuo: cum plerosq; eorum literis egregiè tinctos, plurimos etiam penitus imbutos eſſe videam. Interim quia ad conſervandam literarũ gloriam honor earum pertinet, ipſa argumenti mei ratio non permiſit, qvin de contemtu literatorum aliquid injicerem, qvo æſtimatoribus artium qvaſi calcar currentibus adderem, qvorum deinde fiduciâ patrocinioq; alacriores Muſæ tanto ſecuriùs contemptores ſuos poſſint contemnere.

Jam poſtqvam qvid publicè erga artes & artium cultores fieri debeat, vidimus, privatim qvoq; qvid ab omnibus & ſingulis ad tuendam earum dignitatem augendumq; ſplendorem conferri poſſit, conſiderandum eſt. Ac primùm cuiq; eorum, qvi filios ſuos literis deſtinant, etiam atq; etiam circumſpiciendum eſt, an apti ſint filii ad id, qvò deſtinantur. Vti

enim,

enim, non omnis fert omnia tellus, ſed nempe:

Hic ſegetes, illic veniunt felicius uvę,
Arborei fœtus alibi, atq; injuſſa vireſcunt
gramina:

ita non qvævis indoles ad omnia æqvè apta eſt. Non ex qvolibet ligno fit Mercurius, ut in proverbio circumfertur. Iam autem indolem dare ſibi homo non poteſt. Qvalem natura & cœli favor dederit, accipit, cum naſcitur, cum ſui adhuc impos eſt. Magiſter ex occulto DEus producit ingenia, ait Seneca. Oportet igitur hic DEI ſequi manum: oportet rimari & diſpicere, qvò qvemq; divina idoneum fecerit diſpenſatio. Qvod ſi qvem igitur puerum vecordem, torpentis & ſtupidi omninò ingenii eſſe vident intelliguntq; Parentes, eum Muſis ne conſecrent. Animis illæ dicatæ Deæ ſunt: animos & pectora reqvirunt, quæ de meliore luto finxerit Phœbus. Pingvia illa, craſſa, nil vigoris, nil induſtriæ habentia ingenia ad alia vertantur opera, qvæ nullam ſingularem mentis vim deſiderant, cor-

poris

poris magis qvàm animi perfici ſolita miniſterio.

Qvanquam prudentiâ hîc qvoq; opus eſt, ut tarda â craſſis, ut ſerò matureſcentia ab ineptis ſciamus diſtingvere. Nam ſunt nonnulla ingenia non rapida, non ſpecioſa, ſed qvæ plus in receſſu habent, qvàm primâ fronte promittunt. Qvale in Thomâ Aqvinate fuisſe perhibent, qvem ob taciturnitatem bovem mutum vulgari dicterio æqvales appellavêre: nempe ad fundum magni illius, ſed modeſti, & in verba non ambitioſi ingenii penetrare non valentes. At penetrârat Albertus magnus, qvi bovem iſtum ejusmodi editurum eſſe præſagiit mugitum, qvem univerſus mundus eſſet admiraturus. Sed deinde pro varietate artium & ſcientiarum, ad qvas applicari qvisq; adoleſcens debet, diſtingvenda ſunt ingenia. Nam etſi artes omnes inter ſe cognatione aliqvâ continentur: tamen non ad omnes æqvè unum hominis ſufficit atq; habile eſt ingenium. Alium animus ad ſpeculandas res ſubtiles, alium ad dicendum in publico, alium ad ſacra, alium ad profana & civilia mentis impetus rapit. Paucos ita ſingulariter do-

tavit natura, ut ad universum disciplinarum orbem, & ad omnia scientiarum ac facultatum genera æqvè sint idonei. Cum verò qvisq; adaptatum Minervæ suæ pensum, cum convenientem ingenio campum reperit, tum verò & tanto alacriùs opus suum facit, & majoris adipiscitur laudem perfectionis. Et sanè, si qvos ullâ in disciplinâ viros habemus excellentes; eos ideò curriculum suum adeò promptè decurrisse, atq; ad metam feliciter pervenisse constat, qvia in materias ingenio appropriatas, qvia, ut vulgò loqvi solemus, in elementum suum incidêre. Vt adeò meritò hîc repetam, ad tuendam literarum laudem plurimùm & id facere, si nec invita, nec inepta ad artes istas trudantur ingenia; nec, qvod in proverbio est, bovi clitellæ imponantur, sed cuiq; capiti, ut sic ludere liceat, conveniens pileus qværatur.

Sed jam tandem ad educationem juventutis accedo: â qvâ eqvidem ut omnium reliqvorum vitæ generum ratio, ita omne qvoq; decus literarum nostrarum potissimùm dependet. Tenerum arboris surculum prout manu flexeris, ita crescit: sic hominum unusqvisq; non alius profectò erit, qvam qvalis fuerit ejus educatio.

Verùm

Verùm cum in educandâ juventute partes ſuas Parentes, aut qvi loco parentum ſunt, ſuas item magiſtri habeant, de utrisq; aliqvid dicendum eſt. Ac parentes eqvidem, qvemadmodum post Deum vitam liberis ſuis impertiuntur, ita iisdem benè vivendi rationem pro virili tenentur inſtillare. Vita enim etſi magnum eſt beneficium, tale tamen eſt, ut eo vel viliſſimus qvisq; vermiculus fruatur. Sed ſi recta vitæ conformatio accedat, ſupra omnem ventri obnoxiorum animalium naturam, & ad ipſorum cœleſtium ſpirituum viciniam attollere ſe homo poteſt. Ingens itaq; opus, ſed ingens qvoq; onus eſt liberos benè educantium. Non fruſtrà olim Romani, poſt Reges ejectos, aliis blandimentis plebi conceſſis hoc qvoq; adjectum voluêre, ut pauperes â portoriis & tributo liberi eſſent; ſatis enim hos, ajebant, ſtipendii pendere, ſi liberos educarent. Sed qvoniam Romanorum hìc nobis opportunè incidit mentio: non poſſum qvin de eorum circa filios adoleſcentes curâ paulo meditatiùs loqvar. Et id facio tanto lubentius, qvod nulla usqvam Reſpubl. nec major, nec ſan-

ctior, nec bonis exemplis ditior fuit; tum &, qvia qvicquid iſtius laudis eſt, ejus magnam partem educationi juventutis Vrbs illa debet. Eam autem graphicè admodum Qvintilianus magni ſanè judicii vir depingit. Vellem elegantem ejus locum ex pulcherrimo illo de Oratoribus Dialogo, qui Taciti operibus adjici ſolet, afferre hîc poſſe. Ibi enim, & qvomodo ſe habuerit Romana diſciplina, cum benè ſe habuit, & qvomodo poſtea prolapſa ſit, diſertiſſimè exponit. Sed qvia longior, nec pro ratione hujus, qvo circumſcriptus ſum, temporis, locus eſt, alium breviorem ex inſtitutionibus ejus contentus ero adduxiſſe. Utinam, inqvit, liberorum noſtrorum mores non ipſi perderemus. Infantiam ſtatim deliciis ſolvimus. Mollis illa educatio, qvam indulgentiam vocamus, nervos omnes & mentis & corporis frangit. Qvid non adultus concupiſcet, qvi in purpuris repit? Nondum prima verba exprimit, jam & coccum intelligit, jam

jam conchylium poſcit. Ante palatum eorum, qvàm mores inſtruimus. In lecticis creſcunt, ſi terram attigerint, ê manibus utrinq; ſuſtinentium pendent. Gaudemus, ſi qvid licentiùs dixerint. Verba ne Alexandrinis qvidem permittenda deliciis, riſu & oſculo excipimus. Nec mirum, nos docuimus, ex nobis audierunt; noſtras amicas, noſtras voluptates vident. Omne convivium obſcænis canticis ſtrepit: pudenda dictu ſpectantur. Fit ex his conſvetudo, deinde natura; diſcunt hæc miſeri, anteqvam ſciant vitia eſſe. Inde ſoluti ac fluentes non accipiunt ê ſcholis mala iſta, ſed in ſcholas afferunt. Ita de Romanæ educationis collapsâ diſciplinâ vir Romanus qverebatur. Suo ſanè jure; cum vir optimus ſolutiſſimos ſeculi ſui mores videns, & qvantum in-

se esset, corrigere volens, morborum publicorum originem in intimis privatarum domuum radicibus scrutaretur & inveniret. Certè qvemadmodum dura, & deliciarum expers educatio Scævolas, Horatios, Camillos, Fabios, Corvinos, Curios, Fabritios, Scipiones, aliosq; cum cura nominandos Heroas effudit: ita qvod nihil simile postea Roma produxit, id profectò uti aliis causis, ita inter alias molli laxæq; pubertatis educandæ rationi tribuendum est. Virtuti sanè, Auditores honoratissimi, minimè planum iter est in terris. Per alta & aspera tendit. Duris plerumq; negotiis enitescit, & maximo sudore in arduum laudis adnititur. Ad Virtutem itaq; non molliter etiam educandi sumus. Labores enim non feret, qvi pingvi otio â teneris assuevit. Qvævis aura offendit illum, qvi inter perpetua fomenta & delicias adolevit. Sicq; adeò per inertiam saginatus perpetuò langvebit, nec labore tantùm, sed mole, ut Seneca loqvitur, & ipso sui onere deficiet. Qvod si porrò turpibus puer innutritur sermonibus, si conviviis luxuriosis

rioſis accubat, ſi cum peccat, non reprehenditur, aut ab alterutro parente caſtigatus, alterius corruptrice palpatur manu, qvis tum Chryſippus vel Cleanthes informando correxerit, qvod qvotidiana domi depravat indulgentia? Ægrè exuitur cum longâ aſſuetudine fibris increvit opimum licentiæ vitiorumq;. Malè ferunt Linos Piſtocleri, cum omne reverentiæ & pudoris capiſtrum inter blanditias ſuorum didicêre contemnere. Laudabiliter itaq; faciunt, qvi filiorum ſuorum adoleſcentiam honeſtis laboribus ſtudiisq; indureſcere, qvàm delicatis mollitiæ blandimentis enervari malunt. Qvod Achilles inter fortium virorum primos habetur, id magnâ ex parte Chironi debet, qvi qvod aſperis laboribus juventam ejus exercuit, ideò leonum viſceribus & ferarum medullis aluiſſe eum dicitur. Qvod Alexander M. tantum gloriæ culmen attigit, id Leonidæ inter alios acceptum ferat, nutricio & Rectori ſuo, viro autem antiquæ diſciplinæ, atq; operum laborumq; eò rigidiori exactori, qvia ipſe toleraverat. Henricum IV. Galliæ Regem qvid magnum fecit, qvàm qvod illum mox â ſinu penè materno acceptum per aſpera omnia duxit egitq; fortuna? Qvæ

omnia

omnia eò affero, ut demonſtrem, non molli, non delicatâ viâ ad virtutis ac ſapientiæ iri ſacraria: Induſtriam, vigilantiam reqviri, eiq; â primis mox ungviculis inſveſcendum eſſe. Inprimis verò dandam operam, ut privatim qvoq; ſtimulos ad ſtudia & honeſta omnia, â ſuis capiat juventus: & ne publicæ præceptorum diſciplinæ vel autoritati domeſticis officiatur oblocutionibus. Nam alioquin ſanè ſi magiſtrorum diligentia & in moribus cenſendis opera apud parentes, audientibus inprimis filiis, vapulat, nunquam tantum boni ſtruetur publicè, qvantum deſtruetur privatim. Potiùs verò reſpondere publicæ diſciplinæ privata debet: ut domus noſtræ, qvantum fieri poteſt, mereantur elogium, qvod domui Thomæ Mori, magni illius Angliæ Cancellarii tribuit Eraſmus: Domus, inqvit, Mori ſchola eſt, & Gymnaſium Chriſtianæ pietatis. Sciant Patres matresq; omnes, (liberè enim & pace ſcio veſtrâ, qvod ad publicum bonum pertinet, proloqvar,) ſciant, inqvam, ægrotos ſe qvodammodo dare liberos præceptoribus. Magna in illis plerumq; ſaburra eſt infirmitatum, impuritatum, ignorantiæ,

contu-

contumaciæ. Iſtis defectibus medicari ſcholarum magiſtri debent, cùm poſſunt, ſed non ſemper poſſunt. Et nonnunquam ideò non poſſunt, qvia id non habent, qvod in legitimâ medicatione reqviritur, qvodq; Hippocratis Aphoriſmus vult, ut non tantùm Medicus & æger, ſed & asſiſtentes faciant officium. Aſſiſtentes autem in ſcholaſtico hoc negotio ſunt parentes, ſunt tutores, cognati, amici, omnes deniq; familiares eorum, qui curandi, hoc eſt, docendi ſunt.

Qvantum ad legitimam & conſervando literarum decori neceſſariam juventutis educationem parentes conferre poſſint & debeant, dixi. Nunc ad vices accedam, qvas in eodem opere ſuſtinent literarum magiſtri. Vices dico de induſtriâ, (cum facilè aliud vocabulum ſuppeteret;) ut Vicarios parentum præceptores eſſe & ipſi præceptores & diſcentes expendant. Adeoq; hi illis reverentiam & obſeqvium filiale; hi viciſſim illis amorem curamq; paternam diſcant præſtare. Mundo olim â manu creatoris recente, qvia rudia nec latè diffuſa erant ſapientiæ ſtudia, ferè etiam benè ac honeſtè vivendi regulis illa circumſcribebantur, facilè

qvod diſcendum eſſet, à ſuo qvisq; patre hauriebat. Nulla publica artium extabant Athenæa. At ubi augeſcente hominum genere curæ laboresq; domeſtici per contractas in arctum poſſeſſiones, tum & per diteſcendi cupidinem creſcerent, ubi juxta, qvò longius procederent ſecula, eò difficilius opus Sapientia redderetur, non vacare, non ſufficere ampliùs operoſiori liberorum informationi parentes cæpêre. Neceſſitas itaq; vel invitos eò adegit, ut homines qværerent in ſtudiis verſatos, & qvi nulli alii ſe curæ impenderent, qvàm inſtitutioni juventutis. Iſtis Vicariam ſui committebant poteſtatem: iſtis ſpem ſuæ qvisq; domûs, & cariſſima ſcilicet thori pignora concredebant. Et id inſtitutum ſumma utilitas ſucceſſione continuâ ad noſtra usq; tempora deduxit. Sed prout ſecula alia aliis ſapientiæ doctrinæq; ſtudio feliciora ſunt, ita diverſæ indolis atq; aptitudinis producunt Scholarum magiſtros. Beata illa, qvibus boni tales, qvibus apti & muneri ſuo ſufficientes contingunt. Hi enim novam faciem, hi florem, vigoremq; ſingulis ætatibus poſſunt afferre: juventutem videlicet informando, in qvâ genus humanum, etſi ſenii lethiq;

ſortem non effugit, ſubinde tamen refloreſcit. Sed ut Informatores illi pro bonis haberi posſint, qvatuor potiſſimùm meo judicio reqviruntur: ut nempe periti ſint ipſi earum rerum, qvas docere debent, ut apti facilesq; ad docendum, ut induſtrii, poſtremò, ut vitâ ſint inculpabiles. Tali qvadrigâ ubi res ſcholaſtica provehitur, non poteſt non feliciter procedere. Sed raro illa ita omnia coëunt conſpirantq;, qvin alterum altero nonnunquam deſtituatur. Sunt aliqui (in genere hîc iterùm loqvor, non ad certum aliqvod Gymnaſium vel hominem reſpiciens) ſunt aliqui, inquam, nimium leviter tincti iis diſciplinis, qvas tradere debent aliis. Ex qvibus adeò ſcientiam vel artem æqvè facilè ſit trahere, qvàm ex pumice aqvam. Qvis enim dare poſſit, qvod ipſe non habet? Aliis non deeſt imò verò ſupereſt eruditio: at deeſt facultas, deeſt methodus eam communicandi: aliqvando & voluntas abeſt. Invident enim nonnulli diſcipulis doctrinam, qvaſi doctrina non ejusmodi fax & lychnus ſit, ut nihil ei decedat, ſi vel mille aliæ inde lucernæ accendantur. Fons eſt illa talis, qvi æqvè inexhauſtus manet, etſi in qvam plurimos fuerit rivu-

los divisus. Nonnullos verò industria deficit, res qvæ utramq; penè paginam facit in hoc opere, & sine qvâ cætera omnia, si vel abundantissima fuerint, manca sunt. Vt enim vel Dædaléâ manu fabrefactum horologium nil prodest, nisi horam seu sono seu indice saltem designet; ita præceptor id, qvod dicitur, revera non erit, nisi diligente manu juventutem sibi commissam ad nobile scientiarum & bonæ mentis duxerit fanum. Sed deniq; castigata â docentibus postulatur vita. Qvò enim mihi illi, qvi doctrinâ oretenus exerciti, animum bonis artibus non induerunt? qvi ut vetus ille ait, philosophâ sententiâ, ignavâ verò ad vitam operâ sunt. Profectò dici non potest, qvantam literis, qvantam juventuti tales afferant pestem. Qvod qvò minus â qvoquam negari, eò majore libertate & faciliore omnium veniâ dici latiùsq; etiam â me explicari potest. Ac primùm tempore, cujus solius honesta avaritia est, intemperantissimè isti plerumq; abutuntur, dum poculis, dum sacris Idaliis, dum aliis ejusmodi vitiis indulgent. Haud sanè illi oppletum Cerere Bacchoq;

chóq; pectus facilè appellunt ad ſtudia: & plerumq; heſternæ comeſſationis vaporibus prohibentur Solem orientem, illum Muſis amicum, intueri. Et qvid illi, qvando ex crapulâ ructantem ſtomachū, qvando madidos, fractos, ſemiſomnos oculos ad docendum afferunt, coram juventute effundent boni? qvàm ſvaviter verba præceptaq; eorum merum aut neſcio qvid ſordidum olentia, influent in aures animosq; diſcentium? Qvæ porrò apud literatam pubem autoritas talium erit, qvi præceptores cum ſint aliorum, ipſi ſunt vitiorum diſcipuli? Nonne viros ob conceptam de virtute eorum opinionem venerari ac revereri ſolemus? at famam virtutis qvomodo iſti tuebuntur, qvi in contraria vitia identidem cernuntur ruere? Sed qvid deniq; boni in formandis adoleſcentum moribus efficient tales, qvi præceptis ſuis vivunt diſſimiles? Non æqvè profectò pectora doctrinâ imbuent, qvàm mores inficient exemplo. Facilè tenellus & parùm adhuc recti tenax animus ſeqvitur eum, qvem freqventer audit. Nec ægrè ſubrepunt vitia, cum ſe ingeniis per ſe fragilibus atq; imbecillis autoritate docentium commendant. In omnibus itaq; juventæ formatoribus reqvi-

ritur vita, non qvidem triſtis, aut ſuperciliosa, ſed tamen pia, honeſta, omnibusq;, qvas humana imbecillitas & vitæ cujusq; conditio capiunt, virtutum fulgens ornamentis. Ita demùm muneri ſuo verè ſatis facient, ita nomini reſpondebunt, ita ad conſervandam literarum gloriam plurimùm afferent momenti. Sed jam ad ipſam me converto juventutem: qvam ſanè, ſi rem literariam ſalvam eſſe volumus, vel inprimis cervices oneri neceſſe eſt ſupponere. Gemunt ſub hoc eruditionis velut ruituro cœlo Atlantes literarum: & certè vel ob ætatem deficient ſub pondere. Qvò magis opus eſt, ut novi Alcidæ ſuccedant. Vt tales autem Alcidas faciamus, Alcidæ, hoc eſt, Herculis viam ingredi oportet adoleſcentes. Viam non voluptatis & deliciarum, quam Heros ille, ut noſtis, ſprevit, ſed laboris, induſtriæ, ſudoris, vigiliarum.

Non eſt ad aſtra mollis ê terris via.

Ad literarum qvoq; gloriam ac decus via non mollis eſt. Vendunt Dii, ait ille, omnia mortalibus labore: qvanto magis pretioſiſſimum ſalutarium artium & ſcientiæ theſaurum? In altis montibus defodere hoc aurum cœleſtis ſa-

pientia

pientia voluit, ne in proclivi & propatulo exſtans vileſceret, ſed ipsâ nobis difficultate aſſeqvendi commendaretur. Etenim ut rectè Poeta ait:

Lætius eſt, qvoties magno ſibi conſtat honeſtum.

Si in certamine Olympico qvaliscunq; induſtria facilem dediſſet victoriam, non erat iſta adeò grata, adeò magnifica futura. Non fuerat Æneæ tam cara Lavinia, tam jucunda Italia, niſi & hanc & illam — fato jactatus & alto, Per varios caſus, per tot diſcrimina rerũ, obtinuiſſet. Non ita gloriosè Romam ſuam intraſſet egregius ille Horatius, niſi tantum illi operis, tantum periculi fortes feciſſent Curiatii. Non eſſent tam pretioſæ margaritæ, niſi ab ultimo mari per tot tempeſtatum naufragiorumq; pericula peterentur. Nobilior margaritis omnibus res eſt Sapientia, & ut nobilior, minore tamen labore, minore periculo ac qvaſi pretio acqviritur. Haud eſt opus, ut eam aſſequaris, longinqua adeò maria trajicere, non opus eſt ad Indos currere extremos. Propinquæ aut ſaltem non adeò remotæ â nobis officinæ ſunt,

ex

ex qvibus, si ipsa sibi non desit juventus, comparari illa potest. Circumstant ferè ipsam nunc inter nos nascentem infantiam Musæ, & in sinum propè earum ê suo matres sobolem hodie projiciunt. Certe est in promptu & ante ipsos qvasi pedes, ubi pectora informari possint. In aperto stant fontes, unde purissimos illos disciplinarum latices licet haurire. Sed non sponte tamen in ora influunt: applicanda manus est, attrahenda aqva ista, aliquo cum labore, tamen tali, qvi & assuetudine levis fit, & ingens deniq; sui pretium fructumq; uberrimum secum ducit. Si cui gravis molestia & arduus labor videtur, qvem literæ reqvirunt, is sciat, non parvo qvoq; sapientiam, imò longè majore, qvàm hodie constat, veteribus constitisse. Notum est ex Valerio Maximo & Plutarcho, qvibus ærumnis, qvibus molestiis illud Græcæ Eloqventiæ fulmen Demosthenes, oris vitium, exilitatem vocis, laterum defectum correxerit: qvomodo antelucanam fabrorum operam anteverterit, qvoties Thucydidem suâ manu descripserit. Vnde & Valerio de ipso vox illa excidit: alterum Demosthenem mater, alterum industria enixa est. Aristotelem

Diogenes

Diogenes Laërtius testatur manu Sphærulam de nocte tenuisse, qvæ per somnum in subjectum lebetem æneum delapsa strepitu suo dormientem excitaret. Euclides Megarensis, cum ob mutuum Megarensium & Athenarum odium bellumq;, Athenas fronte apertâ adire non posset, veste muliebri, de nocte illas adiit, ut Socratis sermonum fieret particeps. Origeni patrum antiqvorum doctissimo summa in studiis atq; inter cibum etiam continuata diligentia Adamantini peperit nomen: Joanni Grammatico assidua in Philosophiæ disciplinis exercitatio Philoponi appellationem conciliavit. Si recentiora adjicere licet, Iosephus Scaliger, at qvantus Vir! cum sub tempus atrocissimæ & qvanquam malâ, tamen latâ fama celeberrimæ lanienæ, Parisiis juvenis ageret, adeò Hebræis literis intentus sedit, ut hominum armorumq; strepitum, & tot puerorum mulierumq; ejulatus diu non audiret. Græcæ lingvæ cum operam daret Heinsius, sæpissimè ad Lunam ex Autoribus enotare solebat, qvæ postridie Scaligero erat ostensurus. Qvos antea labores tot clari & illustres viri, tot rara literati Orbis capita pertulêre, eos ne hodie qvoq; juventuti su-

ſtinere grave ſit. Idem, qvod illi qvæſivêre decus, iidem, qvos illi meſſuêre, gloriæ, præmiorumq; fructus, qværi & acqviri poſſunt hodie, dum contendere nervos, dum ingenii vires excutere velimus. Sed nempe, qvod meritò hîc qveror, qvia & alii prudentes viri qveruntur, cepit hodie plurimos neſcio qvis non tantum veternus, ſed & amor veterni, ut ad qvemvis laborem horreſcant, & qvodvis vel leviſſimum jugum grave videatur cervicibus. Non paucos ipſa jam librorum, aliorumq;, qvæ felicitas ſeculi nobis ſuppeditat, copia ſubſidiorum omiſſos, & aliena ſcilicet diligentia deſides ac negligentes facit. Nempe enim, qvia tot libros conſcriptos, tot perpetuò adhuc ſcribi vident, putant unà cum libris ſapientiam emi poſſe: maluntq; adeò argentum, qvàm ingenium, malunt nummos, qvàm nervos impendere; nihil eà in re ſapientiùs agentes, qvàm ſi qvis plena optimorum medicamentorum myrothecia habens, ita ſanum ſe fore putaret, etſi nullo eorum uteretur. Blandum eſt, ſed inane & valdè inſuper noxium palpum iſtud, qvo deſidiæ ſuæ illi adulantur. Extant, fateor, nobiliſſima in omni artium genere librorum monumenta,
adeò

adeò ut penè copiâ eorum laboremus. Extant egregia in optimos qvosq; Autores commentaria: sed cur ideò eorundem autorum explanationem â vivâ voce non petat juventus? Plus una hora viri docti & prudentis auditione transacta docere te potest, qvam multæ horæ lectioni impensæ. Ille enim selecta tantùm & tibi tuoq; ingenio & profectui apta proponet: cum commentatores sæpè in ambages & excursus prolixos, sæpe & ambitiosos magis, qvàm utiles sese diffundant. Et si ex his ipsis meliorem succum cum cura & judicio extractum adolescentiæ Professor proponat, habet profectò hæc, cur illi agat gratias. Porrò legentibus facilè tædium & plerumq; torpor qvidam, sæpè & sopor oboritur: certè nunquam ita lectio, qvàm viva vox penetrat subitq; animos. Præterea id quoq; identidem accidere videmus, ut commentaria, quia semper habere & legere nos posse credimus, ferè nunquam legamus: ad illa vix nisi tum confugientes, cum necessitas aliqua adigit, vel occasio invitat. At quot occasiones quoq; offerre se possunt, ubi nullum ejusmodi librum tecum habeas? Quàm tu sudabis tum, quàm erubesces, nisi ex audito ma-

gistro aliqvid memoriæ, qvod te juvet, inhæsērit? Habent, mei carissimi juvenes, habent muti illi interpretes, habebuntq; usum suum, etsi Pręceptores qvoq; publicè audiveritis. Vix unqvam tam felix vobis memoria erit, ut omnia, minima, maxima, qvæ audieritis, exactè per multos annos retinere & qvoties opus erit, reddere possitis. Ideòq; sic etiam vos ad interpretationes seu excusas typis, seu manuscriptas, ipsa res & necessitas aliqvando compellet. Malim tamen ad eas confugere possitis, quas ipsi ex ore Præceptoris exceptas manu vestrâ consignaveritis. Nam alioquin, qvia multi extant interpretes, antequam in optimum incidatis, diu hærebitis ambigui: et si reppereritis talem, tamen antequam ei assvescatis, tempore iterum & labore opus est. Præterea svaviores erunt proprio labore scriptæ explicationes præceptionesq;: faciliores qvoq; intellectu, faciliores retentu, qvia & vox dictantis, & vestra scribentium industria menti eas inscripsit: deniq; & tutiores ad usum erunt, qvia non omnibus ita obviæ & pervagatæ sunt, qvàm qvæ typis expressæ lucem publicam oculosq; adeò seculi subiêre.

Iam de methodo qvoq; studiorum jure aliqvid

qvid dicendum esset, honoratissimi Auditores. Nam sanè ad promovendam tuendamq; rem literariam illa vel maximè necessaria est: neq; aliam majorem fundi nostri Apollinei calamitatem novi, qvàm qvod methodum aut non rectam, aut non constantem habemus. Verùm id argumentum, etsi' plurimorum hodie & celebrium ingeniorum industriâ agitatum, adeò tamen difficiles adhuc explicatus habet, ut paucis lineis, qvas tempus nobis circumdat, comprehendi definiriq; non possit, & ob gravitatem non debeat. Itaq; re istâ in aliud meditamentum reservatâ, id tantum nunc moneo juventutem, ne studia sua præcipitet. Vt ætatis humanæ, ita eruditionis certi gradus & qvasi processus sunt. Qvibus si rectè & ordine progrediatur, pulcherrimis auctibus adolescit, & ad maturitatem provehitur doctrina. In rebus naturæ ductum seqventibus non fieri saltum, sciunt docentq; Physici. Et si fiat saltus, mali id illis ominis est. Certè si puer ante annos sapiat, si virilia adolescentulus tractet, eum aut antè annos moriturum, aut iterùm præmaturè puerum fore, aut certè supra leges naturæ futurum portendunt. Naturam ars seqvi solet &

debet: & ſi ſeqvatur, minus aberrabit, curſuq; faciliore ad metam ſuam pertinget. Mala ſeges foret, ſi culmo vix ſupra terram emicante ſpica mox appareret: mala meſſis ſub noſtro hoc ſidere eſſet, ſi quæ fieret in Iunio. Malè arbor haberet, ſi cum flore fructus mox matureſceret. Ita in ſtudiis ordine omnia fieri oportet, & per certa intervalla ad artium faſtigium adſcendi. Canis feſtinans cæcos parit catulos; ut eſt in proverbio. Nihil boni pariter efficit, & periculosè plerumq; labitur, qvi non per gradus, ſed per prærupta & abſciſſa ad cacumen aliqvod, non eundo, ſed ſaltando contendit. Monendum hîc & illud eſt, ne nimis vel crebrò vel citò præcepta, præceptores, ſcholamq; mutet juventus. Non obducitur muſco lapis, qvi freqventiùs movetur. Non convaleſcit qvæ ſæpe transfertur planta. Non venit ad cicatricem vulnus, in qvo crebrò medicamenta mutantur, addo ego, cui qvies juſta non conceditur. Inprimis autem perniciosè admodum peccatur ab illis, qvi antequam in pædagogiis ſeſe recte excoluerint, ad Academias feſtinant, ſimiles illis, qvi ante-
qvam

quam rivum trajicere didicerunt, magno ſe mari committunt: aut aviculis, qvæ vix emicantibus demum plumis per vaſtum aëris inane volare auſint. Qvid in Academiis teneri ejusmodi ſtudiorum Tyrones proficiant, plusquam ſatis experientia nos docet. Plerumq; libertate illâ, qvam nondum capiunt, corrumpuntur, & ubi multum temporis, multum & argenti decoctum eſt, inde, vacui ſæpe, & in literis usq; Tyrones, in vitiis plusquàm viri, revertuntur domum. Adeò ut adoleſcentes illi, qvi ante juſtos ætatis & ſtudiorum progreſſus ad majora artium theatra, illaq; virginum Muſarum haud ſemper æqvè virginea domicilia properant, nihil aliud magis qværere videantur, qvàm ut propiore arctioreq; ſuorum cuſtodiâ tanto citius elapſi, ſuo vivant magiſterio, & argentum, qvod nonnunquam genium ſuum defraudantes patres ægrè comparsêrunt, tanto liberius celeriusq; prodigant.

Tandem & illud ſtudiosè inculcandum eſt juventuti, ut in qvantiscunq; ſuis profectibus nunquam immemores ſint modeſtiæ. Vt togâ brachium, qvod apud antiquos dicebatur, continere diſcant, ne ſupra magiſtros ſapere ſe putent,

tent, ne unqvam blandiantur ſibi, nunqvam de ſe ſibi credant: neq; enim vel facilius vel periculoſius qvàm â ſeipſis decipi poſſunt. In bello nemo citius vincitur, qvàm qvi in limine victoriæ ſe eſſe putat & ſecurus eſt: in ſtudiis qvoq; nunqvam minus diſcitur, qvàm ubi putamus non parùm nos didiciſſe. Magni homines & pro ſapientiſſimis habiti hoc ſe unum ſcire profeſſi ſunt, qvod nihil ſcirent. Inter ſummos eruditi hujus ſeculi viros novi unum, cui nullum familiarius in ore vel calamo dictum fuit, qvàm, qvantum eſt, qvod neſcitur! Et qvid tyrones dicant, qvibus vix â limine Muſas ſalutantibus, ad interiora ſapientiæ penetralia nondum patuit acceſſus: qviq; adeò, qvod in Oceanum illum ſcientiarum vix de littore proſpiciunt, ne hoc qvidem ſciunt, qvod nihil ſciant? Beati, ſi hoc ſaltem non ignorarent: nam primus hic & maximus ad ſcientiam tum gradus, tum ſtimulus foret. Tritum illud, ſed veriſſimum & ſæpè repetendum eſt: Multi ad ſapientiam pervenire potuiſſent, niſi ſe putaſſent perveniſſe. Et qvod Greçi dicunt: οἴησις ἐγκοπὴ τῆς προκοπῆς. Sed ut qvi opinione doctrinæ

ctrinæ turgent, mederi sibi possint, accipiant en modum. Ne comparent se cum illis, qvos post tergum reliqvêre: sed cum aliis, qvos ante se vident. Inspiciant magnorum virorum curricula, & considerent, num illi non doctiores eâ ætate fuerint, qvâ ipsi sunt, qvi ita sese circumspiciunt, magis sui, qvàm scientiarum pleni. Qvod hîc dico de intuendâ egregiorum virorum vitâ, magnoperè omnibus vobis, qvi ad primiceriam eruditionem contenditis, necessarium est. Istæ Polycleti statuæ, ista Miltiadis trophæa, & nempe tam perfectionis exempla, qvàm imitandi incitamenta sint. Ponite vobis ante oculos Scaligeros, Camerarios, Lipsios, Casaubonos aut similes aliqvos, & non ante vobis finem discendi faciendum putate, qvàm propè ab illis constiteritis. Etiam superare illos, si Deus velit, cupiditas & ardor sit. Ad prima ista nomina dignè adspirantes, ultra mediocritatem saltem, nisi subsidia absint, procedetis. Et ut ad summa non perveneritis, in secundis tamen consistere gloriosum erit. Reputate vobiscum, nunc qvoq; nullam virtuti viam inviam esse. Qvò unqvam ante adscenderunt ingenia, eò cum bono Deo etiam hodie pos-

ſunt pertingere. Modò poſt favorem Numinis vivida & exſomnis indoles adſit, modò labor non diſpliceat, modò manuductor non deſit, modò animum dulcedo ſtudiorum, modò amor gloriæ atq; immortalitatis excitet mentes atq; inflammet. Incalui iterùm, nobiliſſimi Auditores, & præ ardore propè oblitus ſum metæ, qvam vos dudum forſan reſpicitis deſideratisq;. Amplitudo argumenti provexit me adeò longè: & nihilominus usq; ſat ſpatioſum reſtare video campum, in qvo excurrere poſſet oratio, niſi patientiâ veſtrâ nimis immodeſtè abuti, mihi eſſet religio. Qvod reſtat, Deum Opt. Max. ſupplex oro ac veneror, ut qvi nobile depoſitum, ſapientiam, qvi literas, pulcherrimos illos æternæ lucis radios & characteres humano generi credidit; earum fulgorem & majeſtatem porrò nobis conſervet, & â nebulis ignorantiæ, â fæcibus corruptelarum & abuſuum magis magisq; depuret. Ille vindices ejusmodi porrò ſuſcitet, qvi barbariem ſigna ſua explicare parantem ſtrenuè coërceant ac propulſent: verum autem ſapientię, ſed ſalutaris, ſed tranqvillæ culmen, Orbi, qvi ob inanis & tumultuoſæ ſapientię umbram in certam perniciem ruit, gnaviter prudenterq; oſtendant.

Ille Amplissimo etiam Civitatis hujus magistratui perpetuò benè esse velit, qvi inter tot alias gravissimas curas Musarum Patrocinium non deponit: sed illas â situ, contemptu, & imminente velut caligine vindicatas, in majorem subinde asserit splendorem. Ille Vrbi universæ benè esse velit, qvæ ut literatorum plena, ita literarum nutrix & hospes benignissima inter maxima decora sua usq; reputat, pretium Phœbo Musisq; posuisse. Benè esse velit Gymnasio, qvod in noctem ante vergens, & plurimorum funerum qvasi tenebris offuscatum, nunc novâ luce refulget, & velut de sepulchro aureum caput attollit. Benè esse velit omnibus, qui in hoc Gymnasio desudant, qvi scholasticæ arenæ vorant pulverem, ut hunc literis demant: qviq; adeò inter labores assiduos & sempervigiles curas salubrem eruditionis succum juventuti instillant. Benè & tibi, florentissima sit juventus, ut, qvemadmodum ipsa spes es parentum tuorum, & flos generis tui: ita spem omnium non æqves tantùm, sed & superes: ut vos, qvi illustribus ortum debetis familiis, earum fulcra & ornamenta; qvi humiliore nati estis loco, novi splendoris Vobis generiq; vestro sitis autores.

Adsit mihi, & omnibus, qvicunq; in partem laboris venient, divina gratia, ut quicquid ad DEI gloriam, qvicqvid ad publicum rei Christianæ bonum, qvicqvid ad decus & emolumentum literarum pertinet, acutè perspicere, gnaviter aggredi, feliciter exeqvi possimus: atq; ut in his terrenarum Scholarum palæstris, regendo luctandoq; ita versemur, qvò in cœlesti tandem Academiâ â Christo, DEO & summo Scholarchâ nostro, laureâ donemur æternæ felicitatis.

DIXI.

Emendanda.

P. 4 lin. 10. lege Firlejo. *p. 6. lin. antep. post* argumentum *pone*, verò. *p. 10. lin. 4. post* Erasmi, *insere* mox &. *p. 15. lin. antep. lege* admodum. *p. 54. lin. 23. pone* suæ. *Reliqua, Lector, ultrò ipse corriges.*



